# RATIONALE THEOLOGICUM
# DEO & MARIÆ
## Sacrum

Ex Summa D. THOMÆ Præceptoris Angelici depromptum.

*Thomisticè quoque in Studio Conventus Varsav: S. MARTINI Ord. Erem. S. P. AVGVSTINI prælectum.*

**Publicæ Concertationi in**

Comitijs Provincialibus Brestæ recurrentibus sub die 4ta Maij Anno Dni 1691. propositum.

*atque*

*Præsidibus* R. R. P. P. P. *Magistro* CANDIDO POTOCKI *Regente:* & *P.* FELICE ORAWSKI *S. Th. Doctore Profess. à Venerabili Patre.* HILARIO ROGALEWSKI *Cursore Theologo.*

PROPVGNATVM.

# EX PRIMA PARTE.

# De Theologia in Cōmuni.

THeologiam Scholasticam opportunè contra vafros fidei hostes inventam indignâ notat imposturâ Lutherus, eam inventum Diaboli asserendo, quam tamen corpori Christi mysticoædificando per Doctores & Pastores vtilem & necessariam indigitat *Apostolus ad Ephesios 4to.* cuius Spiritu plenus hoc ipsum ostendit *S. P. AVGVSTINVS Lib. 14. de Trin. C. 1. Huic scientiæ tribuitur quo fides saluberrima quæ ad veram beatitudinem ducit gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, quâ scientiâ non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsâ fide plurimùm*. Obiectum eius DEus est optimus Maximus sub ratione Deitatis non abyssali & plenissima, nec restrictiva ad solum diligibilitatem aut glorificationem; sed ut subest principijs per revelationem creditis per respectum ad intellectum discurrentem & certas consequentias ex bonitate consequentiæ vi formæ deducentem. Estq; in hac consideratione habitus scientificus: speculativum esse vsus loquendi obtinuit, & ratio finis, quia est certa cognitio divinæ veritatis ex revelatis per discursum applicatis persuadet. Non subalternatur scientiæ Dei & beatorum, & rectè meretur appellari Sapientia. Naturalis est in sua ratione formali essentiali, quamvis materialiter dici possit supernaturalis, concludit enim aliquid supernaturale: imò habitum esse discursivum & illativum supernaturalem formaliter in terminis repugnat; & hoc sive una tantum præmissa supernaturalis siue duæ ad Conclusionem Theologicam concurrant, proinde principaliter & per se est habitus scientiæ distinctus à fide, quæ est purus revelatis sine admixtione discursiva assensus.

# De Natura DEI & Attributis.

DEVM esse mundi machina ostendit, ordo & dispositio cælestium & terrestrium confitetur, Rationalis Naturæ conceptus & ratio per Creaturas demonstrat demonstratione verâ & Philosophicâ, quamvis à posteriori & non aliquâ tantum magnâ probabilitate ut quibusdam placet, quam certa & indubitata de DEO scientia improbat: Hæc ergo Propositio DEVS est, subiectivè & materialiter est per se nota, obiectivè tamen & formaliter non item: sive quod idem est. est per se nota quò ad se non quò ad nos. Irrefragabili Angelici Præceptoris ratiocinio *Quæst: 27ma. Art: 1mo. &c.* Et consono Philosophi iudicio *12 Metaph. Text: 39. Quòd intelligere sit optimum & magis diuinum in DEO* Primum peculiare & radicale prædicatum in DEO intelligere divinum deprænhenditur, quod proinde pro constitutivo Metaphysico Essentiæ Divinæ assignatur; ac propterea ab hoc & Asseitas sola & cum socia Infinitate, & voluntas sive sola sive simultaneè Intellectui copulata, condignè & ut par est de DEO judicando relegatur. Proprietates essentiam DEI consequentes admittere necesse est, quæ vocantur perfectiones simpliciter simplices, & communiter attributa DEI: hæc ab essentia DEI virtualiter intrinsecè distinguuntur & ratione ratiocinatâ, non formaliter ex Natura rei: hanc tamen distinctionem inter essentiam DEI & attributa non faciunt Deus aut beati: includuntur attributa in Conceptu formali essentiæ divinæ & è converso, similiter conceptus unius in conceptu alterius, cum DEVS sit omnino suâ Essentià, sua Intellectiò &c. & quidquid aliud de DEO prædicatur; ut loquitur *S. Anselmus in Monol: C. 12.* Omnes perfectiones quæ in DEO sunt. nullam in eo faciunt compositionem, est enim simplicissimus & purissimus actus, Ens necessarijssimum & primum, quod ex multitudine coniungi impossibile reputavit *Auicenna 1mo Metaph. C. 6to.* Corpus habere DEVM non nisi delirando dici valet. Est bonus, & quidem summum bonum, & solus bonus per Essentiam, Infinitus in omni genere, & solus per essentiam Infinitus, Immensus, Immutabilis, & æternus: Omnipotentem esse agnoscunt & Philosophi, & per hanc omnipotentiam maxime DEVM ex Creaturis metiuntur, quam esse perfectionem simpliciter simplicem probat *D. Thomas 1mâ Parte Quest. ,ta.*

De Vi-

# De Visione DEI.

DEVM esse visibilem id est Cognoscibilem, probat ratio actus purissimi omne enim in tantùm cognoscibile est inquantùm est in actu: DEVM tamen esse visibilem visione clarâ, intuitivâ, per seipsum & non per aliud nulla ratio naturalis demonstrativè persuadet, cum hæc visio sit omnino supernaturalis ab intrinseco. Potentiæ cognoscitivæ sensitivæ in quibus est oculus corporeus, DEVM attingere non valent visione clarâ, & hoc etiam per respectum ad potentiam absolutam, quod verum est tàm de visione principali quàm instrumentali. Repuguat etiam substantia Spiritualis supernaturalis, aliàs illi connaturaliter convenirent proprietates DEI, quas solùs DEVS plenissimè ex Intrinseca exigentia possidet. Ad visionem DEI claram necessarium est principium supernaturale elevans quod sit Virtus intellectûs & hoc vocatur lumen gloriæ; quod proprijssimè est forma & virtus intellectûs, & tota ipsius ratio agendi visionem beatificam, intellectu in ratione solius potentiæ specificæ per coaptationem essentialem ad obiectum intelligibile concurrente: hocq; lumen gloriæ est ita necessarium ad visionem DEI, ut sine illo permanenter inhærente, vel transeunter communicato, visio DEI haberi non possit. DEVS est ita visibilis in seipso ab intellectu creato, ut nulla species impressa creata, ad hoc sit necessaria, nam *Videbimus eum sicuti est 1mæ Ioan. 3tio.* Imò hæc species absolutè repugnat, quamvis non improbabiliter species expressa DEI in visione beatìfica concedi possit. Omnes visiones beatificæ sunt eiusdem speciei athomæ, diversificantur tamen individualiter ad diversificationem intensioris aut remissioris Luminis gloriæ, gratiæ sanctificantis & meritorum. Visio beatifica ita terminatur ad DEVM, ut non solùm Essentiam divinam & prædicata absoluta, sed etiam Personas divinas pro obiecto formali primario sibi vendicet; neq; potest coarctari ad videndam Essentiam solam sine attributis & Personis & è converso. Necessarium est vi visionis diuinæ Essentiæ videri aliquas Creaturas possibiles, secundum proprium esse illarum, Visio tamen omnium possibilium impossibilis reputatur: Eodem actu Visionis beatificæ videntur etiam aliquæ Creaturæ existentes pro aliqua differentia temporis, quamvis non ex vi

Visionis

Visionis divinæ essentiæ, nec possunt videri omnes à quo quolibet beato sed videntur tantùm à solo Christo, ad cuius statum pertinent omnia per quem omnia, tam in cælis quàm in terrís restaurata sunt.

# De Scientia DEI.

ESse DEUM & non esse scientem, ignorantia dicentis est, nam *apud Deum est Sapientia & intelligentia Iob.* 12. Datur ergo in DEO Scientia cuius obiectum formale & primarium est omne quod est DEUS, scilicet essentia, attributa, & Personæ, estq; ita adunata in ipso, vt non sit partibilis in actum primum distinctum ab actu secundo; Creaturas omnes distinctè & in particulari cognoscit, non tamen se ex illis, nam seipsum comprehendit comprehensione perfectissimâ, & quidquid cognoscit, à se cognoscit, in seipso ut in medio prius cognito; esset perfectissimè sciens, si deficientibus Creaturis, eas non cognosceret: non Entia cognoscit per dissensum, Entia vero rationis vt Chimeram, distinctiones, & Relationes, cognoscit dependenter ab intellectu humano illas ex necessitate & fæcunditate fingente; cognoscit etiam peccata, Commissionis quidem in sua omnipotentia continente liberum arbitrium defectibile, omissionis autem proximè in bonitate creata, remotè verò in omnipotentia eminenter continente bonitatem creatam. Omnia singularia distinctissimè videt nam *non est aliqua Creatura invisibilis coram eo ad Hæbr: 4to.* Est præscius futurorum aliàs non esset DEUS ita concludente. *S. P. Aug. Lib.* 5. *de Ciuit. Dei. C. 9no.* Et quidem futura contingentia absoluta, cognoscit in suo decreto eorum futuritionem prædeterminante, quæ vocatur scientia visionis, per quam etiam ipsum cognoscere futura contingentia conditionata, magis probabile est: quare sufficientissimè dividitur scientia DEI in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis, per priorem cognoscit sola possibilia necessariò, per posteriorem omnia futura & existentia liberè, ac proinde non est reperibilis in DEO aliqua Scientia media, quæ (vt à suis fabricatoribus explicatur) nullo modo potest esse libera, & eam menti S. P. Augustini, & D. Thomæ, imò rationi disso-

dissonam esse veriùs est. Futura contingentia sunt præsentia Deo ab æterno secundum existentiam Physicam & realem, quam habitura sunt in tempore; nam *opera omnis carnis coram illo à seculo & usq; in sæculum Ecclesiastici 3ttio.* Scientia DEI est Causa rerum effectiva, & ideo sunt quia eas Deus novit & vocatur scientia approbationis, prout coniuncta est cum decreto earum futuritionē aut existentiam decernente.

# De Voluntate DEI

CVm tota potentiâ Dei sit voluntas facientis, Deum habere voluntatem agnoscit fides, *omnia enim quæcunq; voluit DEVS fecit Ps.* 113. Et Apostolus *ad Romanos* 9. *Voluntati eius quis resistet?* Probat ratio consecutionis volitiui ad Intellectivum: Obiectum primarium divinæ voluntatis est ipsius Bonitas infinita, prout involuit perfectiones absolutas & Relatiuas. Amat se Deus necessariò, qui necessarijssimus in se est, quatenus amat perfectiones suas intrinsecas, amat tamen se liberè ut finem Creaturarum per illas honorandum & glorificandum, qui amor DEI nullatenus est distinctus à gaudio: Creaturas possibiles amat etiam necessariò utraq; necessitate, existentes verò futuras & præteritas libere. Finis omnium à DEO volitorum cuius gratiâ est gloriâ DEI extrinseca, finis cui est ipse DEVS, teste Apostolos *ad Romanos* 9. *Elegit nos in ipso ut ostenderet diuitias gloriæ gratiæ suæ* potest tamen Deus velle bonum Creaturæ intellectuali tanquam fini cui proximo: volitio libera Dei est ipsa volitio necessaria, consistens in indifferentia eiusdem necessariæ Entitatis ad diuersas denominationes oppositas, per ordinem ad Connotata extrinseca diversa: hoc tamen extrinsecum connotatum non est aliquod constitutivum volitionis DEI liberæ, cum voluntas DEI sit immutabilis & æterna, omne autem creatum mutabile. Actus liberi DEI habent laudabilitatem & honestatem infinitam in genere moris, non necessitatur tamen moraliter DEVS ad volendum efficaciter omne quod melius & perfectius est. Cuncta enim quæ DEVS vult & quæ non vult, congruenter & decentissime vult vel non vult. Datur in DEO voluntas antecedens seu generalis salvandi omnes homines, quæ non est sola simplex complacentia, sed formalis volitio terminata ad bonum Creaturæ secundum

uum se consideratum; dicitur etiam & condicionata, quia involuit conditionem ordinationis divinæ providentiæ, manifestationis iustitiæ, & boni generalis totius vniversi. DEVS prædefinitione efficaci & prædeterminatiuâ prædefinit omnes actus liberos causarum secundarum citra læsionem libertatis, cum sit non minus Omnipotens quamliber & providus, sub cuius providentiam omnia etiam peccata, suo modo cadere necesse est.

# De Prædestinatione, & Reprobatione.

PRæter providentiam generalem & naturalem seu ordinariam, datur etiam prouidentia supernaturalis, quâ DEVS ad finem gloriæ ordinat Creaturas intellectuales per media supernaturalia. & vocatur prædestinatio optime *à S. August: lib. de Dono persever. C. 10.* explicata quod sit *præscientia & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur*. Consistit formaliter in actu Intellectûs essentialiter & præsuppositivè connotante & præsupponente actum voluntatis divinæ qui quidem actus intellectûs necessario est imperium rationis subsequens electionem mediorum, & illorum executionem imperans juxta illud *ad Ephes: 1mo Prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ*. Prædestinati electi sunt ad gloriam ante prævisa eorum merita, electi enim sunt vt essent Sancti, non ergo quia futuri erant Sancti concludente. *Aug. lib. de Prædest. Sanct: C. 8uo* quæ tamen electio vtrumq; actum Misericordiæ scilicet & Iustitiæ pro diverso respectu includit. Causas prædestinationis morales & meritorias (effectiva enim est solus DEus) nullas reperies in prædestinatis, sed sola Christi merita in quo *benedixit nos DEVS in omni benedictione Spirituali ad Ephes: 1mo* Inter effectus prædestinationis substantiam prædestinati non bene ponit Scotus; bona tamen naturalia corporis aut animi imperativè saltem possunt reduci ad providentiam specialem prædestinativam & inter eius effectus numerari. Proprijssimi prædestinationis effectus sunt quos enumerat. *Apostolus ad Rom. 8uo. quos* (inquit) *prædestinavit vocauit, & quos vocauit hos & justificauit, quos autem justificauit illos & glorifi-*

*glorificauit*. Infallibilem eſſe prædeſtinationem & numerum prædeſtinatorum certiſſimum fide docemus, eius ſigna evidentia nulla, imò nec moraliter certa, conjecturalia tantum apprehendere mens ſtudioſa poteſt. Reprobationis nomine, non Electionem cenſent Theologi, de qua comparative ad prædeſtinationem loquendo eam conſiſtere in imperio rationis eſſentialiter præſupponente actum voluntatis neceſſe eſt, quo Deus dirigit & præcipit Executionem mediorum ad damnationem reproborum conducentium, nulli tamen reprobo Deum decernere pænam damni aut ſenſûs ante præuiſa peccata abſolute futura conformius veritati eſt, proinde & reprobatio poſitiva non niſi poſt præviſa peccata facta eſſe dignoſcitur: cauſam negativæ, originalem culpam, imò primum motivum excludendi reprobos à beatitudine ex Augùſtino in veſtigare libet & licet. *in Epiſt*: 105*ta in illud ad Rom.* 9*no. cùm non dum nati eſſent &c.* nam qui diligebat in Iacob antequam natus fuiſſet gratuitum miſericordiæ donum, oderat in Eſau originale peccatum: poſitive cauſam motivam originale, proximam Actuale non dimittendum peccatum aſſignare viſum eſt, ad quod tamen vitandum, & ad aſſequendam ſalutem dantur omnibus reprobis auxilia ſufficientia à Deo, qui vult omnes ſalvos fieri.

# De Sanctiſſima Trinitate.

Myſterium Trinitatis non niſi errando Intellectus naturaliter demonſtrare valet, ſi revelantis Luminis non adiuvetur fulgore, abſolute tamen eius principijs naturalibus non adverſatur, eiuſq; notitiam ſaltem quo ad An eſt evidentē, per ſcientiam infuſam habere poteſt, imo etiam in effectibus ſupernaturalibus dicentibus reſpectum tranſcendentalem ad Deum trinum. Patrem Filium & Spiritum Sanctum tres in eadem indiſtinctiſſima Deitatis Natura ſubſiſtentes Perſonas indigitant Scripturæ, Concilia approbant, fides Vniverſalis confitetur: procedere vnam ab alia id eſt Filium à Patre, & Spiritum Sanctum ab vtroq; per modum actionis immànentis, deducunt Theologi ex revelatis, quæ proceſſio ſolam prioritatem originis admittit, & prima Filij eſt proprie generatio, ſecunda Spiritus Sancti tantùm proceſſio, cuius ratio eſt natura principiorum, per quæ procedunt

cedunt, intellectus scilicet & Voluntas, quorum primo formalissime convenit assimilare Terminum, secundo non item. Principia processionum divinarum assignata, non dicunt in recto & formaliter Relationes divinas sed tantùm in obliquo, adeoq; potentia generativa formaliter & in recto dicit actum intellectus qui est dicere, & relationem Paternitatis, & potentia Spirativa actum voluntatis qui est spirare, & relationem Spiratoris: dicere & Spirare includunt formaliter & in recto intelligere & velle. Relationes reales in divinis, ad; intra quatuor, scilicet; Paternitas Filiatio Spiratio passiva, & Spiratio activa. Primæ tres inter se distingvuntur realiter, quarta à sola opposita relatione Spirationis passivæ realiter, à primis duabus tantum virtualiter, & ratione ratiocinatâ distinguitur. Ab essentia non distingvuntur realiter; aut ex natura rei formaliter, sed virtualiter intrinsece, quam innuit *Concilium Florent: Sess. 28. in Vnione Græcorum per verba Ioannis Theologi. Diuina essentia & personare quidem sunt idem, secundum autem modum intellectionis nostræ videntur differre.* Relationes diuinæ non sunt de conceptu essentiali explicito essentiæ divinæ & è converso; essentia tamen divina per modum prædicati transcendentis essentialiter implicite includitur in conceptu explicito relationum, similiter relationes per modum transcensorum & modorum intrinsecorum sunt de conceptu essentiæ divinæ. Dicunt Relationes in sua linea relativa perfectionem diversam à perfectione Essentiæ, ad quod dicendum ducimur authoritate *S. Cyrilli lib. 1mo. Thesau: Cap. 10. Perfectus est non solum quia Deus est sed etiam quia Pater est.* non tamen prædicantur de essentia divina per se formaliter, quámvis contrarium defenditur in prædicatione essentiæ divinæ de Relationibus. Idem est in Divinis secundum rem, & rationem esse personas, & esse Relationes, quia constitutiva personarum sunt proprietates relativæ quod statuitur conformiter ad mentem *Concilij Lateran: Cap. Firmiter de summ: Trinit: & Fide Cath. Hæc Sancta Trinitas* (inquit Concilium) *secundum eandem essentiam est indiuidua & secundum proprietates Personales discreta*: per proprietates enim absolutas in quibus conveniunt Personæ discerni non possunt. Possunt assignari tres subsistentiæ relativæ in divinis, imò & tres existentiæ relativæ non tamen tres essentiæ etiam cum addito relatiuæ Est etiam vna existentia absoluta in divinis imò & subsistentia absoluta, Verbum divinum procedit per se excogni-

tione

tione omniũ attributorum & Perſonarum divinarum, procedit quoq; neceſſario ex cognitione omnium Creaturarum poſſibilium, non tamen ex cognitione exiſtentium & futurarum. Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio & ad ſui productionem neceſſario & per ſe exigit plura ſuppoſita tam ex parte principij quam ex parte termini, vnde ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio ab illo non diſtingueretur realiter; tota enim ratio diſtinctionis in divinis eſt per hoc, quod perſona aliqua ſit ab altera. *Concilium Flor. Seſſ.* 18. Miſſio vnius perſonæ divinæ ab alia neceſſario dicit originem ſui ab illa ſimulq; importat aliquem effectum temporalem de novo patrandum in tempore: hæc convenit Filio & Spiritui Sancto non Patri, qui eſt principium fontanale ad intra & ad extra.

# De Angelis.

DAri Angelos id eſt ſubſtantias Spirituales completas fides docet, ratio naturalis evidenter non convincit: quilibet Angelus compoſitionis expers eſt Eos multiplicari iutra eandem ſpeciem non poſſe etiam divinitus certius eſt, ſunt ex natura ſua incorruptibiles & verè in loco exiſtentes, nontamen vt locata, ratio autem quâ proxime redduntur exiſtentes in loco corporeo non eſt nuda eorum ſubſtantia ſed operatio ſeu quantitas virtutis: habent terminũ magnitudinis in loco poſſunt tamen eſſe in minori & minori vſq; ad punctum; ratione ſuæ ſubſtantiæ non poſſunt eſſe in pluribus locis adæquatis diſcontinuis imo nec inadæquatis, quin ſint in medio, oppoſitum tamen iudicatur de exiſtentia eorum in locis per operationem Moventur Angeli localiter tam motu continuo quàm diſcreto. Perfecte intelligunt ſine diſcurſu, indigent tamen ſpeciebus ad cognoſcendum quas illis DEus infudit ab inſtanti Creationis, ita ut creſcere non poſſint in Sapientia naturalium: hæ Species in Superioribus Angelis ſunt Vniverſaliores in repræſentando, in inferioribus minus vniverſales, vnus Angelus cognoſcit alios per eorum ſpecies, ſuperior comprehendit inferiorem non tamen è converſo, ſimiliter inferiores illuminantur à ſuperioribus: actus internos intellectûs & voluntatis, futuraq; quorũ exiſtentia pendet à libero arbitrio ſolùs cognoſcit Dominus

minus scrutans corda, fuerunt Angeli creati in cælo Empyreo beatitudine naturali donati, præter hanc nihilominus naturalem etiam supernaturalem acceperunt & in gratia creati sunt, Angelus non potuit etiam de potentia absoluta peccare in primo instanti Creationis suæ: peccarunt tamen aliqui post primum instans per superbiam, quod primum eorum fuit peccatum propter quod exciderunt à gratia & gloria. Torquentur à vero igne corporeo producente in illis calorem materialem inextensum, tanquam ab instrumento Physico ad torquendum assumpto.

# Ex Prima Secundæ.

# De Vltimo Fine & Beatitudine.

FInis primus actionum motor adeo, vt propter illum agere DEO Optimo Maximo conveniat, non solum quod ipse sit finis operum suorum, *vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus Proverb.* 16. Sed etiam quia movetur à fine cuius gratia operum omnium ad extra, nempe gloria sua extrinseca quam per *Isaiam Cap.* 43. multum se æstimare fatetur *gloriam meam alteri non dabo*, potestq; vti Creaturis tanquàm medijs ad hunc finem, imò sic defacto vtitur hominibus; Angelus, & homo proprie propter finem agunt, vltimus finis simpliciter Deus est Opt: Max. *Alpha, & Omega, principium, & finis, Apocal:* 1*mo.* Quidquid agit homo, libere propter vltimum finem operari censetur virtualiter saltem, & interpretativè; quamvis non semper propter hunc vt verum, sed aliquando in apprehensum: duos tamen simul ultimos fines simpliciter habere non potest coniunctim acceptos, nam *nemo potest servire Deo & mamonæ* Matth: 6to. quamvis disjunctim possit appetere duos, sub eadem tamen ratione formali boni satiativi. Peccans mortaliter semper intendit aliquid creatũ vt vltimum finem, peccantis enim mortaliter perversitas est. *fruendis uti velle, atq; vtendis frui S. P. Augustinus lib.* 83 *Quæstionum*, *Quæst.* 50. Peccans autem venialiter habet etiam aliquid creatum pro fine vltimo, saltem cuius gratia

tia

tiâ, ſed tantùm negativè & ſecundum quid. Hic optimus finis eſt hominibus, velle eſſe beatos, quæ beatitudo cum ſit. *omnium rerum optandarum plenitudo, S. Aug. 5to. de Ciuit. Dei Cap. 1mo.* obiectiva erit ſolus Deus, formalis viſio eius, juncta tamen amori perfectiſſimo, per quem plenè poſſidetur Deus: non poteſt beare hominem illapſus eſſentiæ Dei in animam eius, quia hæc formalis beatitudo debet eſſe operatio vitalis, mediante internâ potentiâ elicitâ, non ab extrinſeco (quod pro impoſſibili reputo) intellectui creato infuſa, Beatitudinem formalem ab intrinſeco conſequi impeccabilitatem, & non eſſe quoddam diſtinctum á beatitudine donum, ita verùm eſt, vt beatum poſſe peccare, & repugnans omninò in ſe, & dicere imprudens ſit.

# De Actibus Humanis.

Voluntarium eſſe omne quod eſt liberum, non tamen idem eſſe quod liberum diſtinxit Philoſophus, nam *electio ſponte fit, non tamen eſt idem cum eo quod ſponte fit, ſed hoc ad plura ſe extendit;* Ethicorum Cap 2. & damnatum eſt dogma Michaelis Baij dicentis, *quod voluntariè fit etiamſi neceſſitate fiat liberum eſt.* Liberum hominis arbitrium non eſt res de ſolo titulo, vel titulus ſinè re, damnante hoc *Tridentino Seſſ. 6ta, Cap. 6to.* quæ libertas arbitrij eſt indifferentia potentiæ volitivæ, ad vnum, ex contrarijs, aut contradictorijs determinare ſe potentis, eſtq; intrinſeca in actibus elicitis, quamvis connotet indifferens iudicium de re proponenda voluntati. Metu aliqua fieri nec omnino involuntaria eſſe, ſed mixta, voluntaria quidem ſimpliciter, & non voluntaria ſecundum quid, doctrina Auguſtini eſt *lib. de Fide contra Manich. Cap. 14.* magis tamen ſe habent timor ad cauſandum involuntarium, quàm concupiſcentia, quæ illud augere videtur, quamvis minuat liberum. Ignorantia antecedens, reddit opus involuntarium ſimpliciter; conſequens involuntarium quidem, ſed tantùm ſecundum quid: non poſſe violentari voluntatem in actibus elicitis cum hi ſint aprincipio intrinſeco cum cognitione, poſſe tamen pati violentiam in actibus ab illa imperatis, communiùs eſt: ſo-

lum

lum bonum finale, est adæquatum, & specificativum, voluntatis ob iectum, nullum autem malum. Non potest ferri in incognitum, sed moveri debet ab intellectu, & eius cognitione; quæ motio non sit effectiva, sed tantùm in genere causæ formalis extrinsecæ, seu finalis. Prima Moralitatis regula est Lex æterna, proxima dictamen rectæ rationis participantis æternam legem, & hæc moralitas proximè consistit in ipsa Entitate Physica actûs liberi connotante advertentiam rationis ad regulas morum: & ita adæquatè dividitur in bonitatem, vel malitiam, ut omnis actus humanus sit necessario bonus, vel malus in individuo, nullus indifferens; Bonitas, & malitia formalis principaliter sunt in actu interiori, secundario autem in exteriori, est tamen vna & eadē in vtroq; & nihil meriti, aut demeriti addit actus exterior supra interiorem, loquendo per se; licet per accidens possint augere actus exteriores numero, intensione, aut continuatione bonitatem, & malitiam, meritum aut demeritum actuum interiorum quod *S. P. Aug.* 3. *de Trinit*: *Cap*. 5. explicat, *mala voluntate quisq; miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur* ea potestate enim efficiendi opus, habet occasionem homo crebriùs, efficacius, & ferventius illud volendi, quod semel internè vult.

# De Conscientia.

CONscium quemq; sibi esse boni, & mali, Apostolus indicat *ad Romanos secundo*: *Testimonium* (inquit) *reddentè illis conscientia ipsorum*, quam conscientiam in intellectu collocare conformius est Apostolo, nam scire, & testimonium reddere, intellectûs & non Voluntatis actus sunt: conscientia ergò est actus intellectûs practici, de bonitate, vel malitia eorum quæ à nobis hic & nunc agenda sunt. Præceptum obediendi conscientiæ, cum sit de iure naturali divino absoluto, obligat indispensabiliter ad sequendum, ita vt semper peccet voluntas agendo contra conscientiam erroneam sive invincibilem sive uincibilem non depositam, dictantem aliquid ut præceptum, vel prohibitum; qua obligatione non obstante sicut excusatur a pec. peccato homo conformans se conscientiæ erroneæ invincibili, sic operans iuxta conscientiam erroneam vincibilem non depositam, non ideo

ideo excuſatur à peccato. Licet certa regula definiri non poſſit an agere contra conſcientiam erroneam vincibilem gravius peccatum ſit, vel eam ſequi, nihilominus ex mente Doctorum concluditur tanto gravius peccatum eſſe, agere contra conſcientiam erroneam, quanto præceptum erroneè propoſitum cui contravenitur maius eſt præcepto per rectam conſcientiam intimato, Quodſi æquale ſit præceptum dictamini rationis propoſitum de agendo iuxta vel contra erroneam conſcientiam; exiſtimo (cæteris paribus) gravius peccatum eſſe agere contra conſcientiam erroneam vincibilem, quam illi conformari. Qui in concurſu ſentẽtiæ probabilioris probabilem ſequitur nec prudenter nec ſecure agit. Princeps antequam bellum moueat, debet habere practicam certitudinem de iuſta belli cauſa. Ex iure æque probabili pro habenda Provincia, non poteſt iuſtum bellum moveri contra Provinciæ poſſeſſorem. Si facto diligenti examine, inveniat Princeps ius ſuum pro poſſidenda aliqua provincia eſſe probabilius & magis fundatum iure partis adverſæ, illicò iniuſtè bellum indicit parti; ſed medijs licitis res eſt componenda, quodſi componi non poſſit, tunc juſtum bellum offenſivum indicitur. Si miles ſubditus ſciat ſuum Principem eſſe bene moratum, ſapientem, tenetur non examinata belli iuſti causâ ad nutum Principis bellare, ſecùs miles non ſubditus. Quando adeſt certitudo facti & incertitudo iuris in cauſa quæ miſerabiles non concernit perſonas tenetur iudex ſequi ſententiam probabiliorem, ſecùs benigniorem. Advocatus in cauſis criminalibus, tenetur patrocinari parti jus probabilius habenti, quod ſi patrocinetur contra eam, & lucretur eam fraude amicitiæ cum iudice, inverſione textûs iuris, peccat mortaliter & ad reſtitutionem tenetur. Medicus tenetur adhibere ægroto medicamentum, quod. ſcit eſſe certum, & efficax, relicto probabili, & dubio, nec debet ſub mortali experiri in infirmis etiam moribundis medicamentum, quod ignorat eſſe proficuum, vel civum. Extra materiam juſtitiæ, in materia aliarum virtutum in rebus dubijs, non ſufficit titulus poſſeſſionis, ſed neceſſe eſt ſequi ſententiam tutiorẽ. Pænitens tenetur confiteri omnia peccata mortalia dubia. Quando præceptum ante ſubortum dubium erat in poſſeſſione obligationis, per dubium ſequens eius obligatio non tollitur. Licitum eſt agere contra ſcrupulum ſtricte ſumptum.

De Pec-

# De Peccatis.

PEccatum à P. Augu. lib. 27. Tim. 6. contra Faustum definitur quod sit dictum, vel factum, vel concupitum, contra legem æternam. Peccatum mortale in, ratione offensæ, continet gravitatem, & malitiam in esse moris simpliciter infinitam. Peccata non sunt æqualia, inæqualitas essentialis eorum desumitur non solum ex obiectis, sed etiam ex circumstantijs, ex quibus peccatum minus grave ex sua specie vel obiecto, ita potest crescere, vt superet peccatum alterius speciei. Appetitus sensitivus non potest esse subiectum peccati sive mortalis, sive venialis. Peccatum Commissionis consistit in positivo connotando in obliquo obiectum lege negativa prohibitum. An possit dari pura omissio libera, & moraliter mala, absq; vllo actu voluntatis problema sit. Ad rationem peccati mortalis præter obiectum de se grave, requiritur quantitas notabilis. Qui peccat mortaliter virtualiter & interpretativè vltimum finem in Creatura constituit. homo iustus peccans venialiter; non item. Ex pluribus venialibus vnum peccatum mortale fieri non potest. Delectatio morosa de obiecto illicito, & cognito ut tali, est peccatum mortale. Absq; ullo præiudicio suæ divinæ sanctitatis, Deus Physice prædeterminat voluntatem ad Materiale peccati. Peccatum mortale ex se, & sua malitia intrinseca inducit reatum pænæ æternæ; Peccatum habituale consistit formaliter inprivatione nitoris gratiæ Sanctificantis, dicitur autem habituale, quia Physice præteritum, per veram pænitentiam non retractatum, moraliter perseverat. Infantes in instanti Conceptionis contrahunt peccatum Originale ex Adam per quem peccatum in mundum intravit. Originale consistit formaliter inprivatione iustitiæ originalis, quantum ad primum eius effectum qui est communis iustitiæ, & gratiæ sanctificanti: Parvuli decedentes in originali, nullam patiuntur pænam sensus, sed tantum damni.

De Gra-

# De Gratia Christi.

PRæter gratiam Creationis agnoſcunt Concilia, & Patres, gratiam quâ prædeſtinati vocamur iuſtificamur, & glorificamur, & hæc eſt gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, eſtq; donum ſupernaturale in ſubſtantia, & ab intrinſeco ad finem ſupernaturalem gloriæ hominem elevans & ordinans. Adcognoſcendas veritates ſupernaturales, & fidei myſteria, neceſſaria eſt ſpecialis gratia interna. Diligere Deum ut authorem naturæ ſuper omnia, amore efficáci non eſt in poteſtate hominis, in hoc naturæ lapſæ ſtatu, ſine gratia per Chriſtum, nec diu vitare peccata mortalia, aut totam collectionem venialium pro tota vita. Nullá eſt lex ſtatuta ut homini facienti quod in ſe eſt viribus naturæ Deus conferat infallibiliter auxilia gratiæ, vnde opera naturæ eſſe aliquas diſpoſitiones ad primam gratiam qui diceret, neceſſario cum Pelagio ſentiret. Eſt qualitas intrinſeca ánimæ eam ſanctificans, & hominem gratum Deo faciens, cum illo, etiam depotentia Dei abſoluta non poteſt componi pro eodem inſtanti peccatum mortale. Eius cauſa principalis eſt ſolus Deus non per creationem ſed per eductionem de potentia obedientiali animæ. Ita ſola eſt forma iuſtificans, agit vt nec contritio, nec charitas Dei ſit eius modi forma. Mereri ſibi decondigno primam grátiam iuſtificantem nullus poteſt, poteſt tamen primam gloriam correſpondentem primæ gratiæ habituali.

## Ex Secunda Secundæ.

# De virtutibus Thologicis.

VIrtus eſt bona qualitas mentis, quâ recte vivitur, & quam Deus in nobis ſine nobis operatur, Fides eſt Virtus divinitus infuſa quâ myſterijs à Deo revelatis licet obſcuris intellectus humanus aſſentitur; pro obiecto formali quod reſpicit Deum ſub ratione primæ veritatis ineſſendo; pro obiecto verò formali quo, reſpicit Deum ſub ratione primæ veritatis in dicendo, Articuli in Symbolo

contenti, sunt obiectum Materiale fidei, qui licet successu temporis creverint quo ad explicationem, non tamen quo ad substantiam. Fides & scientia non possunt componi in eodem intellectu tam quo ad habitum, quàm quo ad actum, habitus tamen fidei cum actu scientiæ, de codē obiecto (per diversa tamen media) simul subsistere possunt; In peccatoribus fidelibus manet vera fides Theologica licet informis Fides necessitate medij ad salutē necessaria est. Non expellitur nisi per infidelitatem Scriptura Sacra est infallibilis fidei regula, ad quam pertinet traditio: Authoritas Ecclesiæ est in solo Pontifice Romanò qui errare non potest loquens ex Cathedra, & solus est fidei controversiarum Iudex, Præceptum autem profitendi exterius fidem tale est ut nunquam liceat veram religionē dissimulare, aut falsam simulare. Spes (quæ est desiderium efficax boni ardui & futuri consequendi. Est vera virtus Theologica, etiam separata à charitate, obiectum eius formale quod, est beatitudo æterna obiectiva, connotans beatitudinem formálem, ratio formalis sub qua, est divina Omnipotentia ut auxilians. Nullo modo potest aliquis per virtutem Theologicam spei sperare beatitudinem, alterius reduplicative talem. In Christo Domino Angelis beatis, demonibus, damnatis, non agnoscit veram Virtutem spei Theologus, licet in animabus Purgatorij eam esse affirmet. Charitas supernaturalis est amiticia hominis cum Deo Obiectum formale eius est bonum divinum infinitum in omni genere. Non solum in genere moris, sed etiam in genere Entis. Charitas est perfectissima omnium virtutum, estq; forma earum.

## Ex Tertia Parte.

# De Incarnatione Verbi & eius Mysterijs.

SAluatorem venturum prædixerunt Prophetæ, figuræ, adumbrarunt. venisse fides docet: propter Salutem hominis incarnatum universalis agnoscit Ecclesia, nec venturum in alium finem vi præsentis decreti, quàm in remedium peccati firmiter tenendum est.

Ita

Ita ~~ut~~ pro ſuo vel alieno mortali ad æqualitatē ſatisfacere homo non potuit, ut Christus obtulerit ſatisfactionem valoris infiniti ſimpliciter & in omni rigore pro peccato noſtro. Naturam humanam ſola terminavit perſonalitas Verbi, in qua etiam & non in natura, facta eſt Incarnatio, per vnionem ueram, & Phyſicam diſtinctam ab utroq; extremo, ſed eorum verè vnitivam. Tota Trinitas efficienter Incarnationem Verbi operata eſt, inſtrumentalem cauſam eius nullam invenies, poſſibilem non negabis; meritoriam quo ad ſubſtantiam impoſſibilem reputa, quo ad Circumſtantias Patres antiquos merito dignaberis idq; decongruo: Intemeratæ Virginis & Matris Dei non derogabis honori ſi eam de condigno Maternitatem Dei non meruiſſe prædices, Verbum aſſumere potuit naturam ſubſtantialem Irrationalem. Si omnes tres Perſonæ aſſumpſiſſent unam humanā Naturam eſſent vnus homo, ſimiliter ſi vna perſona diuina aſſumeret tres naturas humanas unus eſſet homo. Gratiam habitualem in Christo fuiſſe non negamus, ſi illum connaturale principium actuum ſupernaturalium & meritoriorum eſſe concedamus, Non fuit Chriſtus Sanctus à gratia Sanctificante nec ab vnione hypoſtatica ut à forma, ſed ab ipſa Perſonalitate Verbi ſibi vnita. Fides & ſpes non fuit in anima Chriſti ſimiliter nec virtus Pænitentiæ, fuit tamen ſcientia per ſe in fuſa, & accquiſita naturalis. Vnio hypoſtatica de facto nec divinitus à Chrſto mereri potuit per opera illam ſubſequentia, licet potuit, per antecedentia ſola prioritate naturæ. Chriſtus prædeſtinatus eſt ut homo ad filiationem Dei naturalem, cum qua impoſſibilis fuit adoptiua.

# De Sacramentis.

AVctor Sacramentorum in nova lege eſt Chriſtus. De ratione Sacramenti eſt quod ſit ſignum rei Sacræ homines Sanctificantis: in ſtatu innocentiæ nulla fuerunt ſaltem ex vi præſentis Decreti, in ſtatu legis naturæ, & ſcriptæ aliqua tantū: in lege autem gratiæ ſunt ſeptē. Conveniunt cum veteribus vnivoce in ratione ſigni gaatiæ in ratione tamē ſigni quâ talis analogicè tantū. Sacramenta nouæ legis neceſſario conſtāt rebus & verbis determitnatis, Mutatio proueni-

 ens ex

ens ex vario modo verbali auferens significationē rationis agendi destruit substantiám Sacramenti. Sacramenta mortuorum per se primo causant gratiam primam, secundam vivorum: omnia Sacramenta novæ legis causant gratiam sanctificantem ut instrumenta Physica. Character de facto imprimitur per tria novæ legis Sacramenta, estq́; ex natuta sua in delebilis, & in corruptibilis. Ad valide administranda Sacramenta requiritur in ministro intentio saltem Virtualis illa conficiendi, vel conferendi, non sufficit habitualis. Gratiæ Sacramentalis causa principalis est solus Deus cui sit Honor & Gloria.